

Heinrich Rudolph Redecker

**Rector Universitatis Rostochiensis Heinricus Rudolphus Redeker D. & PP. Ad  
Cohonestandas Exequias Quas Foeminae ... Wendulae Eggers/ Viri ... Dn. M.  
Christiani Michaelis, Pastoris ad D. Jacob. ... Viduae, Virgo .... Catharina Krawels/  
Filia moestissima ... matri desideratissimae, Hodie hora 1. in aede D. Jacobo  
sacra paratas cupit, Omnes Literatos & literarum Fautores praecipue autem  
Cives Academicos sedulo hortatur & invitatur**

Rostochii: Kilius, 1660

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn751407704>

Druck Freier  Zugang



Redeker, H. R.,  
in  
**W. Eggers,**  
viduam Chr. Michaelis.

Rost. 1660.

9.















78.

**RECTOR**  
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS  
**HEINRICUS RUDOLPHUS**  
**Redeker D. & PP.**

AD COHONESTANDAS EXEQUIAS

Quas

*Femina Virtutibus ornatissima & probatissima*

**WENDULÆ Eggers!**

*Viri Admodum Rever. & Clarissimi*

DN. M. CHRISTIANI MICHAELIS,

Pastoris ad D. Jacob. Vigilantissimi,  
dentis, Rostoch. Ministerii, gratissimi  
Viduae,

*Virgo pudicissima*

**CATHARINA Krawels! Falia inoe-**

*stissima, ex debita & filiali observantia  
matri desideratissima,*

*Hodie hora 1. in aede D. Jacobo sacra para-*  
*tas cupit,*

Omnes Literatos & literarum Fautores  
præcipue autem Cives Academicos  
sedulo hortatur & invitatur.

---

ROSTOCHII,  
Typis JOHANNIS KILII, Acad. Typogr. Anno 1660.





RECTOR UNIVERS. ROSTOCH.  
HEINRICUS RUDOLPHUS *Redeker*  
D. & PP.



Omo cum fletu nascitur, cum fletu vivit, & cum fletu moritur. Nam lacrimis nostris, si ratio, vel futurae felicitatis spes indubitata, quam per meritum Christi adepti sumus finem non fecerit, conditio humana non faciet. Si enim omnes mortales circumspexerimus, larga ubique flendi & assidua est materia. Uti enim varii sunt casus, & innumerabilia rerum discrimina, quibus homines sunt expositi, ita lacrimae citius nobis deerunt, quam justae lacrimarum causae. Primum nascentium omen fletus est, quem subsequentes anni rerum tristium successione aggravant. Inde Augustinus: *Quid est diu vivere, nisi diu torqueri.* Quia omnis vita nihil nisi supplicium est, quemque diem enim sua cura comitatur, & molestia excruciat. Neque numerari possunt mala quae indies occurrunt: alium morbus tenet perpetuus: alius parentibus, alius liberis orbatus dolet: alium dura egestas premit; alium alius dolor tor-  
que



quer. Inde Seneca quando tot periculorum genera, tot morbos tot curas, humanas intuetur, prudenter fatis mundum mari comparat, & mortem portui & stationi securæ: *Quando in hoc, inquit, profundum inquietumq; projecti mare, alternis astibus recipiunt, & modo allevans nos subitis incrementis, modo majoribus damnis deserens, assidueq; jaectans, nunquam stabili consistimus loco: pendemus & fluctuamur, & alter in alterum illidimur, & aliquando naufragium facimus, semper tinemus. In hoc tam procelloso, & in omnes tempestates expósito mari navigantibus, nullus portus nisi mortis est.* Quis hic non miretur hominis ethnici sapientiam, quam ex lumine naturæ hausit, dum omne vitæ tædium & labores temporales, desiderio mortis perferendos svadet? Est enim Christiano teste, mare quoddam hæc vita, in quo fluctus, assidui, & sæpe tempestates: & portus mors, quæ tandem omnium miseriarum finis à mortali miseria, ad immortale ducit gaudium. Quod Divus Paulus plenus Spiritu Altissimi in maximum humanæ miseriæ solatium, majori fiducia æternæ quietis confirmatus, explicat: *Existimo enim, inquit, quod non sint condignæ passionibus huius temporis, ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Est siquidem hic ordo DEI, ut per multas tribulationes ingrediamur in regnum gloriæ. In quo ab omni calamitate defensi securi vivimus, nam dies mortis est  
finis



finis miseriarum, & dies natalis æternæ beatitudinis.  
Vita itaque nostra naviganti similis est, quoniam  
is qui navigat, varie furentibus undis & fluctibus ja-  
ctatur, stat, sedet, jacet, vadit, titubar, cadit, quia  
impulsu maris ducitur, donec in portum perveniat.  
Ita & nos homines inter mundi scopulos turbulen-  
to motu circumducimur donec per beatam mor-  
tem in portum futuræ felicitatis appellamus. Hanc  
vitæ miseriam experta, & quietis securitatem, tan-  
dem adeptæ est fœmina optima **WENDULA Eg-  
gers**. Quæ cum in procelloso ac fluctuanti hoc  
mari, per varios scopulos circumacta esset, tandem  
in portum securum delata est, ubi omnis miseræ ex-  
pers æterna fruitur lætitia & securitate. Nata au-  
tem est hic Rostochii *Anno Christi 1613.* ex parenti-  
bus honestissimis, qui in lucem editam filiam per fœ-  
dus baptismale sine cunctatione in lucem salutis  
constituere sategerunt. In quâ eandem, per fide-  
lem in viis & testimoniis DEI educationem, conti-  
nuerunt. Parens ejus fuit Vir Integerrimus & Spe-  
ctatissimus **JOACHIMUS Eggers** / Civis & Cerevi-  
sarius Rostochiensis industrius. Mater virtutibus  
conspicua fœmina **Anna Korfes**. Avum paternum  
habuit virum memoriæ laudatissimæ **Glaus Eggers**,  
Civem itidem & Cerevisarium in hac urbe præstan-  
tem. Aviam paternam, fœminam pietatis nomine  
commendatissimam **APOLONIAM Waencksche**.  
Avum



Avus maternus ejus olim claruit Vir laudatissimus  
Joachim Korff, Civis & Zythopepta Rostochiensis.  
Avia materna virtutis ornamento condecorata fe-  
mina Anna Krawels. Ex hisce majoribus in mor-  
talitatis scenam progressa piè defuncta nostra paren-  
tibus non ultra quadriennium gavisa est, quin in nu-  
mero orphanorum varias ejus ordinis calamitates &  
mala experiretur, nisi divinitus in ejus tuitionem &  
curam excitatus vir optimus Claus Eggers/ patrue-  
lis, defunctam nostram in domum & filiaë locum,  
receptam, in omnibus pietatis & virtutum aliarum  
exercitiis sollicite educasset. In quibus per natu-  
ræ, in probitatem & virtutum vias propensa, bo-  
nitate adeò profecit ut plurimos elegantissimi ani-  
mi procos, nubilis facta, miraretur. Concessit au-  
tem in conjugium Anno 1636. cum Viro Spectatissi-  
mæ integritatis JOHANNE Krawels/ Cive & Ce-  
revisiario in hac urbe. Felix fuit illud inter bonos  
probosq; contractum matrimonium, tum ob tran-  
quillos, & placidos vitæ conjugialis dies, ex singu-  
lari morum harmonia & rectitudine profluos: tum  
ob divinam benedictionem exponentem in ample-  
xus piorum parentum filiolarum unicam ANNAM,  
& spem secundæ prolis; cujus tamen in hanc lucem  
progressum parens inopinato suo ex hac mortalium  
catalogo ad superna gaudia, per mortem immatu-  
ram factam transcriptionem, anticipavit. Ex eo  
tem-



tempore dicta ANNA reversa est ad Redemptorem  
suum in numerum glorificatorum. Nata vero post  
viginti quatuor à parentis morte septimanas in so-  
laciūm tristissimæ Viduæ posthuma, CATHARINA,  
ea quæ per divinam gratiam, optimis animi corpo-  
risq; exornata dotibus, in solamen tristes Viduitatis  
adolevit, & adhuc superstes, Virgo pudicissima, cha-  
rissimæ matris ad meliora avocata memoriam acer-  
bissimis prosequitur lachrymis. Non verò perman-  
sit multo tempore, placide defuncta nostra, in nu-  
mero viduarum, sed ex eadem post annos duos in-  
novum expetita fuit matrimonium à Viro Reve-  
rendo plurimum & Clarissimo M. CHRISTIANO  
MICHAELIS, benè de Ecclesia hujus loci meriti  
Pastoris Jacobæi, & Superintendentis Rostochien-  
sis. In eo, multâ pace & tranquillitate felix, inte-  
gris duodecim annis, industria rei familiaris admi-  
nistratrix, vixit, etiam eo nomine dilectissimo ma-  
rito piæ memoriæ, acceptissima, quod trinæ sobo-  
lis nempe CHRISTIANI. MARGARETHÆ, &  
DAVIDIS parentem ipsum, divina ita disponente  
benedictione, faceret. Verum enim verò, quæ est  
humane felicitatis varietas & inconstantia, fuit ea  
in secundo matrimonio fortunæ serenitas tristibus  
aliis vitæ obscurata quasi nubeculis. Erepta enim  
sunt uno anno ex amplexibus parentum amantissi-  
morum tria illa matrimonii felicioris pignora. Imo  
avocatus



avocatus est ex nutu supremi rerum humanarum arbitri  
DEI, in chorum Ecclesiæ triumphantis, anno 1652. ipse di-  
lectissimus maritus, Superintendens, olim de Ecclesia, Deo  
Rostochii militante, optimè meritus. Ex hujus morte,  
novo viduæ vitæ caractere notata defuncta nostra, con-  
stituit quod superesset vitæ, in solo cultu & amore DEI &  
Redemptoris sui transigere. Quâ gratiâ verbi divini præ-  
dicationem & meditationem maximi semper fecit. San-  
ctissimi Sacramenti ejus in quo signum amoris sui suum  
nobis porrigit & propinat corpus & sanguinem ipsi Re-  
demtor noster nunquam non fuit sitientissima. Egenis &  
aliis ope sua indigentibus amicis, inimicis, de bonis suis  
promptissimè & liberalissime benefecit. Interea nec tunc  
destituta fuit gratiosis DEI benigni visitationibus, carni  
amaris. securitatis tamen carnalis expurgationibus salu-  
tiferis, experta varias valetudinis vices, & incurrentia sub-  
inde symptomata, imprimis eam exercuit ante annos  
tres, optimarum corporis virium profligatrix Phtisis,  
toto anno velitudinem oppugnans non tamen per DEI  
bonitatem expugnans. Excussa enim fuit variis celesti  
benedictione instructis antidotis adeo ut res, omnis opti-  
mè habere videretur. Cæterum eadem invisa tabis in-  
clementia ante viginti quinque ferè Septimanas recidiva  
tam pertinaci & lenta expugnatione corporis vires non-  
dum satis recollectas invalit, ut ipsa mortis beatæ nuncia  
videretur. Constituit ergo in illis Dei viis uti omnibus me-  
diis quæ Christianos in afflictionibus sublevare solent. Inpri-  
mis Sanctis ex Dei verbo consolationibus & patientia: nec  
minus Medicorum industriâ, quam singularem, circa re-  
stitutionem sui experta est, Viri Amplissimi Experientissimi  
& Excellentissimi Domini JOHANNIS BACMEISTERI,  
Medicinæ Doctoris & Professoris felicissimi, Amici nostri  
hono-



honoratissimi. Vicit tandem mali vis omnem humanam  
opem, adeo, ut ritè de refamiliari disponere ad beatam  
ex hac miseriarum valle emigrationem optimo modo se-  
se componere cogeretur. Muniit ergo se sanctissimo sacra  
synaxeos viatico devotissimè sumpto ex manibus Reve-  
rendi & Clarissimi Viri Domini M. ENOCHI SVAN-  
TENII Archidiaconi ad D. Jacob benè merentis, amici  
nostri nihil exinde magis optans quam ut placidè exsolita  
ex corpore mortis hujus egrederetur lampade vivæ fidei  
instructa in occursum Sponso suo Christo. Cujus amore  
incensa subinde Sanctissimis affectibus plena reperit illud:  
**Ach Herr wie lange:** Item. **Ich begehre aufgelöset und bey  
meinen HERRN JESU zu sein.** Et ipse fidelis animarum  
nostrarum Redemptor suscepit suo sanguine notatam ani-  
mam piè defunctæ nostræ 18. die hujus Mensis Decembris  
inter 2. & 3. horam pomeridianam Anno XLVII. ætatis suæ.  
Quandoquidem autem hodierno die corpus exanime de-  
centi ritu in terræ, matris omnium nostrum, sinum  
componendum erit, omnes literatos, literarum fauto-  
res & præcipue cives Academicos amicè & officiosè invito,  
ut in memoriam imminentis ultimæ horæ, frequenti  
præsentiâ hanc funebrem deductionem exornent,  
atq; adeò luctum consanguineorum tam insi-  
gni favoris documento  
relevent.

Sub Sig. Reçt. XXIIIX. d. Decemb. Anno 1660.

Conventus erit in templo Mariano  
hora I. pomeridianâ.





















avocatus est ex nutu supremi rerum  
 DEI, in chorum Ecclesiæ triumphante  
 lectissimus maritus, Superintendenten  
 Rostochii militante, optimè meriti  
 novo viduæ vita caractere notata  
 stituit quod superesset vita, in solo  
 Redemptoris sui transigere. Quâ  
 dicationem & meditationem maxi  
 ctissimi Sacramenti ejus in quo lig  
 nobis porrigit & propinat corpus  
 demtor noster nunquam non fuit  
 aliis ope sua indigentibus amicis,  
 promissimè & liberalissime benef  
 destituta fuit gratiosis DEI benigni  
 amaris. securitatis tamen carnali  
 tiferis, experta varias valetudinis  
 inde symptomata, imprimis ear  
 tres, optimarum corporis virium  
 toto anno velitudinem oppugnans  
 bonitatem expugnans. Excussa  
 benedictione instructis antidotis a  
 mè habere videretur. Caterum  
 clementia ante viginti quinque fe  
 tam pertinaci & lenta expugnatio  
 dum satis collectas invasit, ut i  
 videretur. Constituit ergo in illis  
 diis quæ Christianos in afflictionib  
 mis Sanctis ex Dei verbo consolati  
 minus Medicorum industriâ, qua  
 stitutionem sui experta est, Viri An  
 & Excellentissimi Domini JOHA  
 Medicinæ Doctoris & Professoris

in arbitrio  
 1652. ipse di  
 ecclesia, Deo  
 jus morte,  
 nostra, con  
 more DEI &  
 divini præ  
 fecit in San  
 ris suo suum  
 erni ple Re  
 i Egenis &  
 le bonis suis  
 ea nec tunc  
 nibus, carni  
 onibus salu  
 rrentia sub  
 ante annos  
 rix Phthisis,  
 en per DEI  
 ariis ealesti  
 omnis opti  
 visa tabis in  
 mas recidiva  
 is vires non  
 beata nuncia  
 mibus me  
 soleat. Inpri  
 atientia: nec  
 em, circa re  
 perientissimi  
 MEISTERI,  
 Amici nostri  
 hono-

